



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHL
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0040

Giovedì 21.01.2016

Lettera del Santo Padre al Legato Pontificio per la celebrazione del 51mo Congresso Eucaristico Internazionale (Cebu, Filippine, 24-31 gennaio 2016)

In data 24 ottobre 2015, è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Charles Maung Bo, S.D.B., Arcivescovo di Yangon (Myanmar), a Legato Pontificio per il 51° Congresso Eucaristico Internazionale, che sarà celebrato a Cebu (Filippine) dal 24 al 31 gennaio 2016.

Il Legato Pontificio sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Don Dominic Bar Bu, Segretario particolare del Legato Pontificio;
- Rev.do Don Marvin Mejia, del clero di Cebu, Segretario generale della Conferenza Episcopale Filippina.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Charles Maung Bo:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro
CAROLO MAUNG S.R.E. Cardinali Bo, S.D.B.,
Archiepiscopo Metropolitae Yangonensi

“Eucharistia coniungit caelum et terram, complectitur et penetrat omne creatum. Mundus, qui de manibus Dei exivit, ad Eum revertitur in iucunda plenaque adoratione”. Hanc sententiam placuit Nobis in Litteris Encyclicis *Laudato si’* de communi domo colenda (n. 236) scribere, in quibus de sacramentis etiam loquimur uti peculiari modo quo natura assumitur a Deo et convertitur in supranaturalis vitae mediationem (cfr n. 235). Valde enim cupimus novum in Ecclesia impulsus eucharisticum concitari atque nunc animum Nostrum ad singularis ponderis eventum convertimus, tempus precis, meditationis atque eucharisticae renovationis, videlicet ad LI Congressum Eucharisticum Internationalem, qui a die XXIV ad diem XXXI proximi mensis Ianuarii Caebuae, in insulis Philippinis, celebrabitur.

Laeto igitur animo epistulam accepimus Venerabilis Fratris Iosephi S. Palma, Archiepiscopi Metropolitae Nominis Iesu vel Caebuani, qui humanissime a Nobis quaesivit ut aliquem eminentem ecclesiasticum virum eligeremus qui Nostro nomine huic Congressui praeesse valeret. Itaque ad Te, Venerabilis Frater Noster, animum Nostrum vertimus qui Ecclesiam Yangonensem studiose moderaris atque erga Eucharistiam nota devotione excellis.

Idcirco harum Litterarum vi Te designamus **Legatum Nostrum**, mandatis Tibi factis, ut memoratis diebus in dicta Philippinarum urbe sacris celebritatibus Nostro nomine praesis atque Nostros spiritales sensus pastoribus fidelibusque ibi congregatis humaniter renunties. De Eucharistia loqueris quae "coniungit caelum et terram", atque omnes adhortaberis ad spiritalem vitam per eam renovandam, sententiam Apostoli Gentium "Christus in vobis, spes gloriae" (Col 1,27) interpretans, rerum adiunctis nostrae aetatis attente consideratis.

Comitetur Te, Venerabilis Frater Noster, tua in missione implenda Beata Maria Virgo, de qua sanctus Ioannes Paulus II haec pulcherrima dixit verba: "Maria mulier tota sua vita est «eucharistica». Ecclesia videlicet Mariam respiciens tamquam exemplar, ad eam imitandam etiam in hac eius necessitudine cum Mysterio hoc sanctissimo invitatur" (*Ecclesia de Eucharistia*, n. 53).

Dum per Te, Venerabilis Frater Noster, omnes consalutamus Praesules et fideles qui Caebuam ad Congressum advenient, sicut etiam civiles Auctoritates, precibus Nostris omnes comitamur atque Deum omnipotentem obsecramus ut praeceptum caritatis in vita cotidiana diligentius servare pergant, e contemplatione Iesu in Eucharistia necessaria roboram haurientes.

Munus tuum magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimus, universis Congressus Eucharistici Internationalis participibus transmittendam.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVIII mensis Novembris, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS

[00083-LA.01] [Testo originale: Latino]
